

sentiales proprietates esse persimile, seu farinae glutem iisdem, ac caro, elementis constare.

His semel positis, quibus nemo cordatus poterit contradicere, jam nullius roboris rationes, quae ex analysi tum cerae cum *stearinae* sunt allatae esse intelliguntur. Et re quidem vera, etiamsi probaretur stearinam iisdem numero et quantitate ac ceram constare elementis, nihilominus de utriusque substantiae identitate jure esset dubitandum et cuique exploratum esset *stearinam* a cera omnino esse diversam, quia semper erit diversa ratio naturae a ratione artis. Verumtamen ex ipsa analysi, quam auctor observationum superius laudatus exhibuit, apparet discrimen quantitatis ossigeni inter ceram et stearinam, ex quo necessario oritur diversitas utriusque substantiae. Hujusmodi discrimen animadvertit ille auctor et contra ipsas physicas leges asserere non dubitavit *plus de gaz oxigene, et il est par conséquent plus propre à la lumière*, dum certo constat ossigenum, quod compustioni inservit, esse illud, quod in aere habetur, minime vero quod in se corpora continent, quae comburantur. Igitur stearina a cera est omnino diversa, quod adeo verum est ut clarissimus Chevreul, qui, ut superius dixi, primus fuit qui adipem analysi subiecit ac methodum proposuit, qua ab oleo posset purgari, non sit ausus eam lapidis partem, quae solida est, ceram appellare, sed nomen imposuit *stearinae* a graeco vocabulo, quod idem esse ac sebum pernotum est. Quapropter candelae ex stearina nil aliud sunt nisi candelae ex sevo oleo purgato ac propterea nunquam comparandae cum iis, quae cera ab apibus elaborata conficiuntur.

Sed praefatus auctor in dubium revocat apes ceram elaborare eamque ipsarum esse opus ac potius existimat

illas ex floribus et plantis ceram colligere ac in alveari recondere. Si hoc verum esset, quin ille auctor sciat, valde infirmata esset vis argumenti ex mystica cerae significatione, quod jam in medium attulimus. Ast res aliter se habet; et in primis animadvertendum est aliud esse quasdam plantas ceram exhibere, aliud esse apes vel eam tantum colligere et recondere vel inficiari ceram, non conficere. Quidquid sit quoad speciem cerae illarum plantarum et an ubique plantae illae reperiantur, non est hic inquirendi locus, dicam tamen etiam in sententia illorum, qui celebris Reaumur observationibus obsequuti arbitrabantur in plantis quamdam cerae speciem reperiri, firmam atque inconcussam remanere veterum doctrinam. Nam ipse Reaumur pluries testatus est se vidisse apes hujusmodi cerae speciem postquam collegerant deglutire et tandem in stomacho elaboratam omnino ab ea, quam manducaverant, diversam evomere. Ita profecto omnes historiae naturalis periti tenuerunt. Verum anno 1792 Joannes Hurter adhibitis diligentissimis observationibus ostendit ceram quamdam esse apum excretionem atque insuper advenit et descripsit organa huic excretioni a natura destinata. Ejus vestigia premens F. Huber eo pervenit, ut demonstraret non solum ceram veram esse apum excretionem, verum etiam apes ceram conficere etiamsi cibum vegetalem nullimode gustaverint.

Deinde novarum candelarum patroni affirmant eas antiquis praefereudas propter munditiei, nitoris pariorisque sumptus rationem. Hujusmodi argumenta eadem omnino esse ac illa quae pro usu gossipii afferebantur anno 1819 luce clarius videtis et tamen haec S. Congregatio decrevit *ab antiquo more non esse recedendum*, neque sacra suppellectilia conficienda esse

ex alia materia, *etsi munditiae, candore ac tenacitate linum aut cannepem aemulante et aequante*. Curnam illi Emmi patres in hac sententia ita obfirmati fuere? Quia mos ille et *ab Ecclesiae primordiis et ob reales et mysticas significationes* erat inductus. Atqui idem de usu cerae esse dicendum jam, ni fallor, demonstravi. Rationem vero majoris oeconomiae etiam pro utendo gossipio adfuisse perspicue patet. Huic difficultati optime satisfacit Archiepiscopus Colocensis in sua epistola ad Episcopum Zagabriae inquires: „Parsimoniae denique, ubi de decore et magnificentia cultus divini et de gloria Dei promovenda quaestio est, rationem haberi haud convenire res ipsa loquitur“. His consona sunt, quae jam de ratione *convenientiae et decentiae* exposuimus.

Aliud argumentum pro novis candelis ex eo sumunt, quod illis ex cera confectis haud parva sevi pars ab opificibus nunc commiscetur. Hoc verum est et fortassis etiam in urbe hujusmodi candelae ab aliquo opifice conficiuntur; sed quid inde? Estne propter fraudem et malitiam, qua hodie pene omnia corrumpuntur et adulterantur, ab antiquo more recedendum et non potius episcopis praecipendum ut sedulo invigilent, ut pro divino cultu sacrisque functionibus non nisi candelae ex sola cera ab apibus confecta adhibeantur? Ita profecto arbitraretur quemadmodum dicam inferius.

Denique posset aliquam difficultatem facessere vel quod jam in multas Ecclesias Episcopis conniventibus vel tacite probantibus candelae ex stearina sint inductae vel quod revera aliqua cerae pars candelis stearicis sit commixta. Quoad primam difficultatem respondeo etiam in urbe ita invaluisse *ut quam bene multi eam corruptellam consuetudinis nomine cohonestari niterentur*, quemadmodum legitur in lau-

dato decreto. Porro in re nostra cum *stearinae* adinventio adhuc sit recens, ejusdem usus nondum consuetudinis nomine potest donari. Praeterea si aliquibus in locis episcopi tacite videntur novas candelas approbare, in aliis vero et praesertim in Galliis earumdem usum datis encyclicis epistolis omnino prohibuerunt.

Quapropter, si ita Vobis Emmi et Rmi Patres videtur, ne hujusmodi usus seu corruptela tractu temporis in consuetudinem transeat, quam evellere perdifficile sit, non amplius expedit cunctari, sed opus est ut haec S. Congregatio pro tuendis sacris ritibus statuta aliquo modo voceem extollat.

Quoad vero alteram difficultatem ex cera cum stearina mixtione, ego non inficior in aliqua officina fortassis hac ratione confici candelas, sed affirmo eas, quae generatim venales prostant, ex sola constare stearina absque ulla vel pene ulla cerae mixtione. Et sane quamvis Episcopus Massiliensis in sua informatione dicat *stearinae immixtam esse perexiguam cerae quantitatem*, nihilominus auctor observationum, quas ad hanc S. Congregationem ipsemet Episcopus transmisit, ne verbum quidem de cerae commixtione, quod utique, si verum esset, fecisset. Idem dicendum de altero opifice mediolanensi prout legenti patet. Archiepiscopus vero Colocensis seu ejus vicarius ait: „Quod materia dictarum candelarum per factores earum in arcano servetur adeoque pro certo determinari per nos non possit, communiter tamen censeant illas ex mixtura sebi et cerae constare, ita ut exterius cortex harum candelarum ex tenuissima cerea membrana constet“. Verum quod apud Hungaros in arcano servatur, penes nos luce clarius apparet, cum omnes recentiores chymiae tractores absque ullo mysterio doceant quomodo ex adipe acidus stea-

ricus obtineatur, atque ex eo candelae conficiantur. Utrum vero, cera excepta, alia substantia ab aliquibus opificibus stearinae clam adjungatur jam praemonuimus nos non inquirere. Quare si fas est suspicari timeo ne aliqua aequivocatio intercedat, etenim a quibusdam recentioribus stearina habetur et dicitur cera. Sed etiamsi daretur in quibusdam officinis confici candelas ex stearina, cui aliqua cerae pars adjungatur, contendo tamen nullam contra ea, quae dicta sunt, difficultatem exoriri, quia etiam in hac hypothesi candelae ita praeparatae non essent illae quibus a primis saeculis Ecclesia usa est, quae relata symbola repraesentant. Quanam ratione *perexigua cerae pars* bovis, arietis, suis adipi commixta poterit immaculatam et virginalem Christi carnem seu assumptam humanitatem symbolice exprimere et adumbrare? Tandem cum in arbitrio sit opificis ceram immiscere vel non, quaero quonam modo aedituus, sacrista aut quis alius, cujus muneris est pro sacris functionibus cereos comparare, poterit specietenus eos discernere quibus cera adjuncta sit ab illis, qui carent? Praesertim cum opificos candelis stearinice cerae nitorem et odorem conferant confugiendumne erit qualibet vice ad analysim vel ad peritos? Ergo utcumque res consideretur patet nullius esse momenti rationem, quae pro usu novorum cereorum ex cerae cum stearina mixtione affertur.

Ex iis, quae hucusque disputata sunt, abunde ac perspicue mihi videtur probari Ecclesiam a novitatibus etiam quoad ea, quae ad divinum cultum sacrosque ritus spectant, semper abhorruisse, cerae usum ab ejusdem Ecclesiae primordiis inductum mysticam eamque praeclaram habere significationem ac propterea easdem prorsus pro cera in ecclesiasticis functionibus esse rationes ac pro retinenda tela ad

sacra suppellectilia conficienda ex lino vel cannape contexta adfuere; ac tandem argumenta, quae a novarum candelarum patronis sive ex physica et historia naturali sive aliunde excogitata, parvi aut nullius esse roboris ac momenti, dum e contra pro adhibendo gossipio in sacris suppellectilibus, exceptis corporali et palla, haud parva theologorum et canonistarum acies pugnabat, nec contemnenda praesto erant argumenta, uti videre est apud De-Albertis aliosque doctores. Quaecum ita sint ego arbitrarer usum praedictarum candelarum in sacris functionibus non esse permittendum neque tolerandum. Quare ad primum dubium responderem: *Negative.*

Tandem quaeri posset utrum tolerandus sit usus stearinae cum aliquo festum extraordinario apparatu celebratur pro iis luminibus, quae circa altaria accenduntur, ex gr. pro lychnuchis pensilibus vulgo lampadari? Ego ut dicam quod sentio, in contrariam abirem sententiam tum quia adipis usus utcumque pro divino cultu induceretur, tum etiam quia ex candelarum pars residua facile postea adhiberetur etiam pro aliis functionibus ne dicam pro missae sacrificio. Caeterum expectandum mihi potius videtur ut hujusmodi dubium proponatur et interim nihil esse addendum putarem.

Haec omnia quae pro ingenii mei modulo ut mandatis obtemperarem utcumque exposui sapientissimo vestro iudicio humiliter subjicio.

(Corresp. de Rome 1850. Ed. II. p. 139—150.)

Continuatio.

(Aliud votum.)

Ad caeteras novitates, de quibus aetas nostra gloriari videtur in inventionibus artiumque praecipue mechanicarum progressibus, accedunt candelae, quas stearicas vocant a graeca voce, quae

seum seu adipem denotat. Harum usus nostris hisce temporibus adeo invaluit, ut non apud privatas tantum sed etiam apud splendidissimas familias eae ad illuminandas nocturno tempore domos et apud exterarum nationum etiam in ecclesiis coeperint adhiberi. Atque haec consuetudo eo pervenit ut nonnulli opifices cereorum civitatis Massiliensis ex novis hisce candelis grave sibi familiis negociisque suis praepjudicium inferri suspicantes et ea damna praecavere cupientes supplicem libellum SSmo Domino Nostro humillime porrexerunt, ut amota qualibet haec super re novitate, antiquissimus cereorum candelarum usus in Ecclesia custodiatur. Jam inde a die 23. Febr. 1839 res est ad Vos delata Patres Emi in hac S. Rituum Congregatione ordinaria, sed priusquam Vos quidquam decerneretis, mandavistis ut informatio et votum Episcopi Massiliensis exquiretur. His autem acceptis propositisque iterum precibus in ordinario concessu Vestro habito die 3. Augusti ejusdem anni placuit Vobis in mandatis dare: — Ponatur in folio, exquisito voto Magistri Caeremoniarum. — Et quoniam ad honestissimum hoc munus per humanissimum epistolium Illmi et Rmi Domini Secretarii, quem honoris causa nomino, ego fui benigne designatus; humillime obsequens, ut par est, hujusmodi mandatis meam de eadem re sententiam, qualiscumque ea tandem futura sit, imparibus licet viribus sapientissimo tamen iudicio Vestro subjiciam.

Ex ipso Ecclesiae nascentis exordio lumina in sacra liturgia adhibita fuisse sive ad depellendas tenebras primis tribus saeculis, ut Vertus et Hisdebrandus contendunt, sive, quod magis nobis arridet et quod posteriori etiam tempore factum est, ad majorem cultum exhibendum ad celebritatem, ad laetitiae signum et symbolicam rationem

indubie constat. *Juxta ordinem romanum*, inquit de hoc ritu Micrologus cap. XI., *nunquam Missam absque lumine celebramus*. Quod autem haec lumina ex cereis candelis esse deberent, adeo constans perpetuusque viguit usus, ut, quidquid fuerit de primis ecclesiae saeculis, posterioribus certe vilior crassiorque materia penitus exclusa semper fuerit. Missale Romanum ex decreto S. Concilii Tridentini restitutum, s. Pii V. Pontif. Max. jussu editum, Clementis VIII. et Urbani VIII. auctoritate recognitum in Rubricis generalibus tit. X. inter defectus, qui in ministerio occurrere possunt, illum enumerat: *si non adsint luminaria cerea*. Et in Rubricis particularibus die 2. Februarii in festo Purificationis B. M. V. candelarum cerearum usus praescribitur; siquidem orat Ecclesia: „Domine sancte, pater omnipotens, aeternae Deus, qui omnia ex nihilo creasti et jussu tuo per opera apum hunc liquorem ad perfectionem cerei venire jussisti“. Et in Sabbato sancto in benedictione Cerei Paschalis: „Suscipe, sancte Pater... sacrificium vespertinum, quod tibi in hac cerei oblatione solemni... de operibus apum sacrosancta reddit ecclesia“. Et paulo inferius: „Alitur enim, liquidibus Ceris, quas in substantiam pretiosae hujus lampadis apis mater eduxit.“

An vero hujusmodi lumina ex oleo vel sevo possint adhiberi, quaestio est inter Theologos. Id fieri posse in necessitate concedit Azoris lib. 20. cap. 8. quaest. 5 et s. Alphonsus Liguorius Oper. Moral. tom. 2. lib. 6. tract. 3. de Eucharist. prout est Sacrif. n. 394. §. XI., dum ait: *Communiter et probabiliter DD. dicunt licitum esse celebrare cum oleo vel sebo in necessitate*. Et Benedictus XIV. immortalis memoriae de Sacrificio Missae lib. 3. cap. 7. num. 2. ait: *addit idem*

Pontas Sylvii auctoritatem secutus esse oportere vel ex oleo aut si desit ejusmodi, e sevo, urgente necessitate.

Haec autem loquens videar fortasse canere extra chorum, quia hodierna quaestio nec cereas candelas, nec sebum nec necessitatis casum directe respicit, quae tota in eo posita est, an candelae, quas stearicas appellant et quae partim ex cera partim ex materia suilla conficiuntur (ex folio praestantissimi Domini Secretarii hujus Sacrae Congregationis) impune possint in praesenti ecclesiae disciplina citra necessitatem adhiberi. Sed omnia haec ego veluti in antecessum adduxi, ut nimirum pateat, cerearum candelarum usum, licet is ex vetustissimo ecclesiae instituto derivet, esse tamen rem mere disciplinarem atque idcirco, si idonea causa adfuerit ac Sedes apostolica probaverit, mutationi obnoxiam esse posse. Itaque in eo nunc tota quaestio versatur, an scilicet in rerum statu, omnibus circumstantiis perpensis, candelae stearicae hujusmodi sint, ut earum usus in ecclesiis permitti queat.

Jam vero ex una parte candelarum cerearum usus licet disciplinarius sit ita tamen positive in rubricis tum generalibus tum particularibus Missalis romani, sicut paulo ante vidimus, praescribitur, ut doctores, quantumvis asserant, in casu necessitatis licere cum sevo et oleo celebrare, si scandalum absit, aperte tamen dicant extra necessitatem sine gravi culpa id fieri non posse. Vid. s. Alphonsum loco citato. Praeterea tales sunt nonnullae ecclesiae precesiones et preconia, ut sine cereorum luminum usu ea proprie non consistant, id quod aperte patebit, si quae superius memoravimus tum de prima oratione pro candelarum benedictione dicenda die 2. Febr., tum de benedictione Cerei paschalis in Sabbato sancto recolantur.

Ex altera vero parte affirmari jure posset, ideo candelas cereas praescriptas hactenus esse, quia nulla aptior materia inventa hucusque fuerit et quia cera majorem praeseferat munditiam ac nitorem. Videndum itaque est, utrum candelae stearicae, de quibus quaestio est, licet ex animalium adipe partim conficiantur, tamen per chimiae artem ita elaborentur, ut sive ob materiam, qua constant, sive ob quantitatem cerae, qua miscetur, sive ob nitorem, quem praeseferunt, et ob splendorem, quem emittunt absque fumo maloque odore, in praesenti disciplina ecclesiae usurpari possint.

Sane sebum, quod nonnisi in necessitate adhiberi posset, iis quae superius retulimus sententiis nunc chymice adeo immutatur, ut res prorsus alia evadere videatur, cera autem, etsi in valde minori quantitate, ita tamen sevo adjungitur et cum eo miscetur, ut ex utroque unum quid ejusdem generis quodammodo assurgat. Id continet testimonium Illmi et Rmni Episcopi Massiliensis in ejus ad S. Congregationem responso, quod dedit re per ipsum explorata. Testis praeterea hujus rei est opifex Agenon, qui explicationes de eadem re suppeditavit, quae ex scientia et arte desumptae rei, de qua agitur, valde opportunae sunt. Testis alter opifex Mediolanensis De Filippi in sua epistola ad adm. Rev. P. Vincentium Modena inclyti Praedicatorum ordinis et sacri P. apostolici Magistri socium, quem honoris causa nomino, conscripta. Et ne quid hac in re mihi deesset, consului nuper praestantissimum Dominum Antonium Chinenti in hac Almae Urbis Universitate Chimiae professorem tribus quaestis, quae is ea qua pollet peritia concinne satisfecit totidem responsionibus, quibus omnia haec mirifice confirmantur.

Neque est silentio praetereunda

quaestio hac super re excitata ab Episcopo Zagabriensi et Metropolitano suo Archiepiscopo Colocensi proposita itemque responsio, quam eidem Archiepiscopi nomine reddidit e Consistorio Colocensi Metropolitanum Consistorium sub die 19. Martii 1842. Etenim in eo responso, licet declareretur retinendum quidem esse usum candelarum cerearum, animadvertit tamen ad S. Congregationem pertinere, ut decernatur, num ad ecclesiasticum usum candelae, de quibus agitur, adhiberi possint, quae cum affabre elaborata cerae permixtione compositae sunt. At quorsum ergo haec disputo? Ut nimirum muneri mihi imposito satisfaciam atque ut ad aperiendam sententiam meam aditus mihi patefiat.

Sententia autem mea Patres Emi non est ejusmodi, ut quidquam aperte decernat quod positive antiquissimum Ecclesiae usum contra Liturgicorum auctoritatem Rubricarumque leges in ista re generatim immutet, donec alia materia evidentissime aptior non prodeat. Verum cum nonnulli Galliarum Episcopi literis circularibus in suis Dioecesibus id prohibuerint, cum praeterea isthaec quaestio jamdiu apud Vos pendeat et aliae hujusmodi fortasse deferri facile possint, cumque Episcopus ipse Massiliensis, dum iudicium vestrum expectat, non obscure candelis stearicis favere quodammodo videatur, ratione habita etiam, quod Rubrica Missalis: *De praeparatione Altaris et ornamentorum ejus tit. XX.* utatur simplici vocabulo: *candelabra cum candelis accensis*, quo utitur etiam Concilium Tridentinum sess. 22: *De extirpendis in celebratione Missae*, quando prohibet certum candelarum numerum, precibus Opificum Massiliensium responderi posse putarem: Dilata et ad mentem. Quae mens esse deberet, ut scribatur Episcopo Massiliensi, quod firmo omnino remanente usu candelarum

cerearum in Altaribus quocumque tempore et in iis functionibus, quae proximius Eucharistiae Sacramentum respiciunt, vel pro quibus Ecclesia peculiare adhibet orationes, in quibus mentio fit candelarum cerearum, prout die 2. Februarii et Sabbato Sancto in benedictione Cerei Paschalis, in reliquis ejusdem Episcopi prudentiae et conscientiae tribuitur et remittitur, candelas stearicas, de quibus agitur, in sua Dioecesi pro nunc tolerare dummodo novitas admirationem et scandalum non pariat.

Atque haec sunt, quae ego dicenda putavi et quae auctoritati sapientiaeque vestrae, Patres Emi, humillime libentissimeque submitto. Die 13. Febr. 1843.

Massilien. Resolutionis dubiorum super usu novarum candelarum ex Stearina confectarum. Instantibus nonnullis episcopis permultisque cereorum fabricatoribus cum Reverendissimo Episcopo Massilen. ac referente Emmo ac reverendissimo Cardinale Cosimo de Corsi Ponente rescriptum fuit: *Consulantur rubricis.* Die 14. Sept. 1843.

Et ad usum candelarum ex stearino in dioecesi Dijon vigentem S. C. resp.: *Nihil inovetur.* Die 7. Sept. 1850.

(*Ibid.* 1851. p 197.)

STEMMA GENTILITUM IN VASIBUS ECCLES.

Precibus Sacerdotis Seb. Ricci Can. Cath. Reatin. Eccles. exquirentis an removere debeat Stemma gentilitium familiae suae impressum tam Ostensorio quam nobilibus aliis Supellectilibus a se donatis Cath. ipsi Eccl., ut expositio SSmi Sacramenti in Cath. ipsa solemniori apparatu fiat, quam quidem remotionem indixit Rmus Ep., S. R. C. pro Informatione et Voto audito eodem Ep. omnibus maturo examine perpensis ad relationem sub